DE

ECCHYMOMATE CAPITIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. MARTII A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS PULLER

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

B. SCHLEGTENDAL, MED. ET CHIR. DR.
G. DAVIDIS, MED. ET CHIR. DD.
W. AB RANDENBORGH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULIS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

ISAACO GERPOTT,

ET

GUIL. JACOBO GERPOTT,

NOTARIO PUBLICO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Etiamsi contendas, permulta, quae in arte medica tractata sint, et parum nobis profuisse et prudentiam nostram parum adauxisse, quippe scriptores, quaecunque aut veterum aut recentiorum auctoritate nituntur, neque consulerint, neque ipsi sensu acri ad morbos observandos viguerint, licet multiplicem experiundi occasionem obtinuerint: tamen concedas velim, auctorum nonnullorum opera, e. g. Hippocratis, P. Frank, Reil, Sydenham, aliorum recentiorum, munera divina atque generi humano salutaria nominari oportere. Quantumvis egregia autem et clara monumenta praeceptores illi nobis tradiderint, tamen singuli quique neque morbos omnes explicare, neque omnes errores, quos aetas ipsa eis obtulit, aufugere potuerunt. At etiam aetas recentior magno artium ac scientiarum progressu multos

errores, multa antea obscura et detexit et adjunxit, ita ut non solum numerus, sed etiam morborum cognitio creverit. Haud dubie quisque et veterum et recentiorum sententias de morbis eorumque sanandi ratione inter se libenter comparaverit, neque dubitari potest, comparationem illam multum esse profuturam; attamen opus, quod ad propositum illud spectet, aetas nostra non protulit. Nimirum opus quidem egregium, at, si quis solus talem operam suscipiat, certe difficillimum erit. Hunc libellum si magni illius operis vel minimam partem nominari posse adnuas, libenter me scripsisse confitebor.

DE ECCHYMOMATE CAPITIS.

Fuerunt ingeniosi, quos recentior aetas tulit, medici inter Germanos et Italos, qui morbum illum diligenter considerarent. Sine ulla dubitatione autem jam veteres in libris therapeuticis antiquis protulissent, si eadem, qua omnino in explorandis rebus medicis, diligentia ad morbum illum cognoscendum usi, dignitatem ejus et locum inter diversas morborum classes constituissent. Fuit haud dubie Mursinna, vir illustrissimus, qui primus hujus morbi mentionem fecit; deinde magno jam temporis intervallo elapso Baudelocque de tumoribus sanguineis capiti adhaerentibus verba fecit. Saepius enim illos, quamquam partus ipse faustum exitum habuit, se vidisse affirmat. Morbus, quem illustraturi sumus, diversa nomina duxit. Carus exempli gratia nominat ecchymoma capitis, Osiander ecchymosin, Goelis trombum neonatorum et Naegelé cephalaematoma.

Secundum sedem distinguimus duce Hoere (1) ecchymoma externum et internum.

(1) De tumore cranii recens natorum sanguineo et externo et interno. Berol. 1824. 4.

I. ECCHYMOMA EXTERNUM.

Varii neonatorum tumores sanguinei inveniuntur, non omnes hic enumerandi. Nam exempli gratia partu difficili peracto interdum tumorem oedematosum post dies aliquot cedentem animadvertis, qui caput succedaneum, s. tumor succedaneus nominatur; neque raro accidit, ut infantes non solum in capite, sed etiam in aliis corporis partibus tumore sanguineo laborent, dilatatione vasorum capillarium orto. Qui omnes alium locum tenent, nam, ut postea demonstrabimus, a vero ecchymomate multum distant. — Ecchymoma seu cephalaematoma tumor ille appellatur, qui non coloratus, tensus, circumscriptus, fluctuans, plerumque in ossibus parietalibus apparet, eruptione sanguinis inter pericranium et cranium ortus, neque partu difficili provocatus.

Ecchymomata omnino non frequentia inveniuntur, ut jam satis ex observationibus Naegelé (1) aliorumque elucet; Struve enim apud ducentos et quinquaginta infantes ne ullum quidem tumorem vidit.

SYMPTOMATA.

Morbus ipse est tumor circumscriptus, forma ovo similis et fluctuans. Magnitudo ejus admodum variat ab avellanae nucis usque ad ovi circuitum. Paulo post partum formam bene circumscriptam tumores servant, neque ob mollitiem valde extensi sunt; attamen magis magisque crescendo indurescunt, ita ut interdum soliditatem lapidibus similem nanciscantur, qua de re nonnulli

(1) Naegelé, F. G., Erfahrungen und Abhandlungen a. d. Gebiete der Krankheiten des weibl. Geschlechts. Mannh. 1812. m. K.

crediderunt, quanquam temere, os ipsum esse tumefactum (1). Spissitudine per tempus dilapsa et magnitudine diminuta, iterum qualitatem, quam primo initio, tumor ostendit, donec demum plane contabescit, ita ut, si quis illum antea adfuisse non viderit, neque sede, neque valetudine infantum morbum praeteritum cognoscat. Memoratu dignum est, quod exploratione manuali circa totum fere circuitum ecchymomatis sub cute marginem ossis manifeste animadverti putas, qui tanquam annulus, aut potius prominens et rotunda durities, apparet, cujus cavitas in medio tumore pro destructione externae lamellae ossis vel perforatione plena habebatur. Michaelis (2) annulum illum symptoma evidentissimum ad morbum cognoscendum esse contendit et ipse Doepp (3) eum saepe invenit, quamquam alii auctores semper eum adesse negant. Attamen constat, nos sensu marginis duri decipi, nam tumore aperto et specillo bene demisso, lamella ossis externa integra invenitur. Nimirum Zeller (4) sibi persuasum habet, interdum sanguinem ipsum levem ossis impressionem efficere posse. Tumoribus autem paulo ante ortis margo deest, qui auctore Zel-

---

(1) Chelius, Handbuch der Chirurgie 1833. Bd. II. Abtheilung I. p. 161.

(2) Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde. Bd. 18. Hft. 4. 1804.

(3) In dessen „Notizen über das kaiserliche Erziehungshaus zu St. Petersburg, die Jahre 1830, 1831, 1832 und 1833 umfassend," in der fünften Sammlung vermischter Abhandlungen aus dem Gebiet der Heilkunde von einer Gesellschaft praktischer Aerzte zu St. Petersburg. Hamburg 1835.

(4) De cephalaematomate seu sanguineo cranii tumore recens natorum commentatio. Heidelberg 1822.

lero conformata ecchymomata plane amplectitur, ita ut, quo longius vigeant, eo magis sanguine coacervato promineat. Osiander (1) se tumorem inflammationis exitum vidisse contendit; contra Wokurka (2) eum semper, sanguine emisso, statim diffluxisse affirmat. Quod attinet ad pulsationem hisce tumoribus tributam, nullo modo symptoma constans atque perpetuum nominari potest. Naegelé eam apud tumores duos vidit et fere semper Hoere, quamquam et alii, exempli gratia Schmalz (3), nonnunquam observarunt. Dolor tactu non evocatur, plerumque autem sensibilitas aucta adest. Symptomata igitur perniciosa tumoribus manu valde compressis non existunt, magnitudine autem, quam saepe adepti sunt, cerebri oppressionem efficere possunt. Cutis tumorum, auctore Osiandro, plerumque colorata non est, tamen nonnulli medici eam coeruleam atque sublividam invenisse dicuntur.

SEDES.

Plerumque ecchymomata in ossibus parietalibus inveniuntur et magis quidem in dextra quam in sinistra parte corporis Hoere et Osiander illos tumores in diversis capitis locis viderunt, exempli gratia in fronte, in osse occipitali et temporali; neque negari potest, plures eorum uno et eodem tempore exstitisse, diversis partibus ita occupatis, ut alter in regione parietali, alter in alia parte capitis, aut in utroque osse bregmatis appareat.

---

(1) Handbuch der Entbindungskunst II. Bd. II. Abth. Tübingen 1821.

(2) Medicinisch. Jahrb. des k. k. öster. Staates. Bd. XIII.

(3) Versuch einer medizinisch-chirurgisch. Diagnostik. 3. Aufl. Dresden 1816.

Si quis eorum autem ossi parietali adhaereat, fere semper in medio collocatus est et raro accidit, ut suturam sagittalem obtegat. Nonnunquam secundum scriptorum auctoritatem tumores in loco uno congregati eodemque tempore orti inter se confluxerunt, simulac vi externa oppressi sunt. Sanguis, quem continent, saepius liquidus, quam spissus est. Rationibus firmis haud nituntur, qui cephalaematoma in aliis locis quam in capite apparuisse contendant, neque Joergii opinio, tumores praecipue in partibus corporis partu valde compressis exstitisse, probatur, quum saepissime puerperio facile peracto oriri possint. —

Ecchymomata fere semper inter primum aut quartum diem post partum apparent, interdum autem prius; nam Stein (1) morbum illum post aliquot horas a puerperio peracto exstitisse affirmat, nec non Naegelé, qui vel statim post partum, vel diebus aliquot elapsis oriri edicit. Klein (2) etiam tumorem statim post puerperium factum, etiamsi decursus partus celerrimus fuit, se vidisse affirmat, eique Osiander consentit, ratus, ecchymoma jam ante rupturam velamentorum adesse, neque illis, qui etiam post aquae defluxum tumores illos conformari dicant, repugnat. Froriep (3) et Wendt semper inter primum et secundum diem viderunt, et Doepp se nunquam ecchymoma primo die invenisse confitetur, nam omnes infantes ad nosocomium delati

---

(1) Annalen der Geburtshülfe etc. IV.

(2) C. C. Klein, über die bisher angenommenen Folgen des Sturzes neugeborner Kinder p. 21.

(3) Theoretisch-praktisches Handbuch der Geburtshülfe. 7. Aufl. Weimar 1822.

morbo illo jam laborabant. Haud procul a sententia Osiandri abest, quod Zeller de ecchymomate docet, ratus, in partu ipso causam ecchymomatis positam esse, quod, etiamsi primo initio ob tenuitatem non animadvertatur, per singulas horas ita crescat, ut secundo aut tertio die jam valde promineat, omnia symptomata antea descripta ostendens. Denique Hoere, se tumorem illum semel observasse affirmat duas horas post partum, ceterum aliorum scriptorum auctoritatem sequitur.

DIAGNOSIS.

Quum varia tumorum genera in capite oriri possint, necesse est, symptomata, quibus alter ab altero discernitur, depingamus. Ecchymomati forma et habitu caput succedaneum proximum esse videtur, quamquam utrumque bene distinguere potes. Cephalaematoma enim secundum plurimorum medicorum auctoritatem non statim in partu ipso, sed aliquo tempore post oritur; caput succedaneum post diutinum partum et laboriosos nixus imprimis in illis partibus apparet, quae primum in pelvis ostium descenderunt. Caput succedaneum per tempus aliquod impressiones digitorum excipit, neque adeo fluctuat, neque formam circumscriptam, neque tegumentum colore claro, sed violaceo, neque pulsationem habet ut ecchymoma. Marginem simulatum atque prominentem non ostendit et multo celerius, plerumque post duos dies, aufugit. Interdum autem diagnosis utriusque valde difficilis est, praesertim, si sub capite succedaneo ecchymoma locum tenet, quod igitur tantummodo capite succedaneo resoluto cognosci potest. Magna autem similitudo ecchymomatis cum hernia cerebri aegrotis valde

perniciosa erit, si utrumque morbum confundas. Qua de re symptomata, quibus alter ab altero distet, eruenda sunt. Fuit imprimis Naegelé (1), de recte cognoscendis variis illis tumoribus capiti adhaerentibus valde meritus, qui diagnosin accuratam inter cephalaematoma et herniam cerebri constituit. Utrumque tumorem, quod attinet ad colorem et formam, non multo discedere dicit, at distingui hisce: Apud ecchymoma invenies marginem rotundum, seu ovalem, qui autem vere non adest, sed sensuum fallacia, in encephalocele autem margo verus apparet, et ossium perforatio observatur, dum in ecchymomate digitis fortiter prementibus os sentitur. Ecchymoma plerumque semper fluctuat, non hernia cerebralis, nisi simul magnam aquae molem contineat. Innata encephalocele motus pulsantes, ecchymomati non proprios, ostendit et repositione facta, imprimis pressione magna et continua, cerebrum ipsum irritatur, unde vomitus, convulsiones, coma etc. oriuntur. Ecchymomata autem pressa nec diminuuntur, neque reponuntur, quare symptomata soporosa desunt. Attamen ignorare non oportet, magna et lata ecchymomata in mollibus ossibus collocata pressione et vi externa et violenta convulsiones, imo adeo apoplexiam adducere posse. Dolores ecchymoma non comitantur, praeter sensibilitatem aliquam, hernia cerebri autem dolores valde vehementes excitat, quos infans suspiriis frequentibus aperit. Clamoribus atque tussi encephalocele crescit, inspirando attollitur, exspirando subsidit, quae omnia absunt ab ecchymomate. Cutis porro, quae herniam involvit, te-

(1) Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde 1822. Mai.

nuis, non pilosa esse dicitur. Quod attinet ad utriusque sedem, ecchymoma ossibus parietalibus adhaeret, hernia innata autem plerumque in suturis et fonticulis locum tenet. Sedes, quamquam saepe sufficit, ut tumoris naturam constituamus, semper signum proprium haberi non potest. Nam ecchymomata ossibus parietalibus adhaerentia inter se interdum confluunt, ita ut suturam sagittalem, quae antea utrumque tumorem separavit, tangant, — aut hernia cerebri, si inter duas ossis testas, plerumque jam ante partum conjunctas, erupit, lamellam ipsam ossis perforasse videtur; quod saepe accidit, si hernia inter partes singulares, e quibus os occipitale apud embryonem conformatur, procedit. — Attamen non solum encephalocele, cujus diagnosis jam satis patet, cum ecchymomate, sed etiam alii tumores permutantur, quorum oedematosum illum, partu difficili et diuturno, imprimis decursu capitis ex pelvi impedito, ortum nominamus. At tumores illi formam circumscriptam non servant et per infiltrationem serosam aut sanguineam, inter os ejusque tegumentum ortam, intumescunt. — Interdum etiam sanguis purus effunditur, simulac vel vasa arteriosa vel venosa rumpuntur. Supervacuum est, ut etiam hydrocephalum acutum proferam, ne morbum imprimis hydrocephalum externum partialem et circumscriptum, de cujus existentia merito dubitatur, cum ecchymomate confundas. Fungus haematodes denique restat; at tumores fungosi molles et spongiosi sunt, in eorum superficie varices apparent, qui tumoribus colorem coeruleum praebent, in omnibus autem neque vis elastica, neque tensio, neque fluctuatio, neque margo ille rotundus, neque cutis non colorata adsunt, ut in ecchy-

momate. Lipomata, sarcomata, steatomata jam mobilitate in eo loco, quem occupant, ab cephalaematomate discernuntur. Vis violenta, quae caput tangit, saepissime tumorum causam sistit, plerumque autem cutis etiam laeditur, ita ut sanguine suffuso valde discolor appareat. Denique, quod Chelius in annalibus clinicis protulit, iisdem verbis repetamus: ecchymomata propriam transfigurationem observant, quae maxime in ossificatione sublevati pericranii consistit, quod ita mutatum tumoribus illis vim elasticam atque crepitationem aliquam praebet. Fuit Chelius, ut antea jam diximus, qui ita permutari ecchymoma demonstravit, quum usque ad ejus memoriam contendissent, os ipsum morbo correptum mutari. Nam et ipse Osiander (1) veterum auctoritatem sequitur, ratus, ecchymomata ab innatis tumoribus, quorum causa in osse ipso posita sit (nam os ipsum tumescere neque lamellam superiorem abesse, sed tantum elevatam atque glutinatam esse dicit), distinguenda esse. Chelius in aegroto, qui duobus tumoribus, in dextro osse parietali laborabat, quorum uterque naturam formamque antea jam descriptam habere videbatur, ita ut, quotquot medicorum adessent, os ipsum aegrotum neque igitur tumores esse aperiendos putarent, scalpello usus est, qua ratione aeger, tumore aperto et sanguine exhausto mox valetudinem integram nactus est (2).

DE CAUSIS.

De origine ecchymomatis quamquam nostra aetate

---

(1) l. c. §. 205.

(2) Chelius, l. c. p. 161.

exactissime observati, stabilem firmamque sententiam medici non tulerunt. Quaecunque enim de tumorum exordio prolata, quam multae multorum medicorum sententiae de natura morbi editae sunt, tamen auctores omnes minime inter se consentiunt. Unde autem illa medicorum dissensio? Habes, quod raro tantummodo tumores illi apparent, neque medici partum ipsum in omni stadio satis observare possunt. Observato igitur partus decursu magni parturientium numeri morbus ejusque natura fortasse cognoscetur. Nam argumenta plurima vel a paucis morbo illo laborantibus deducta sunt, vel auctor de re, quam minime intellexit, locutus est. Dubitari non oportet, quin ecchymomata vasis arteriosis vel venosis diruptis, sanguine inter os et pericranium effuso, oriantur, de causa proxima autem, quae rupturam ipsam inducat, adhuc certatur. Secundum multorum medicorum, ut Wendt, Carus, Osiander, Capuron etc. auctoritatem ecchymomata morbi acquisiti sunt, nam partu difficili atque pressione capitis in pelvem dilapsi frequentissime ea oriri crediderunt. Osiander (1) ecchymoma oriri putat, vel si caput diutius in pelvi moretur, vel in pelvem descendens ad latus aut forcipe in loco vasculi emissarii in fenestram prematur, vel si caput distorqueatur atque forceps non apte adhibeatur. Carus (2) causam ecchymomatis in partu difficili consistere dixit et Klein (3) illum tumorem, vasis divulsis, si caput margini pelvis insistat, produci cre-

---

(1) l. c. P. 208.
(2) Gynaekologie 1820. Bd. II. P. 608.
(3) l. c. P. 21.

dit. Feiler (1) alienum capitis situm ejusque gomphosin diuturnam in pelvi causam morbi nominat. Medici tamen plurimi, ecchymomata neque partu difficili, neque gomphosi capitis exoriri esse contendunt, quum saepe post partum facilem atque brevem, quo foetus caput minime premeretur, apparuerint. Interdum in partu ipso clunibus praeviis orta esse dicuntur et Meissner(2) ecchymoma in partu pedibus praeviis vidit. Naegelé, qui septendecim cephalaematomata observavit, semel post partum agrippinum et nunquam post partum difficilem se vidisse confessus est; inde sequitur, ecchymomata ex partu difficili atque diuturno non pendere. Wigand (3) tumoris illius originem ex causis internis, imprimis autem ex superioris lamellae ossis defectu deduxit, tamen neque experientia, neque ulla observatione probatur. Brandeau (4) in relaxatione innata vasorum capitis causam posuit, attamen haud dubie erravit, quum relaxatione vasa quidem dilatentur et sanguine nimis impleantur, non autem rumpantur atque sanguinem emittant, quod quoque ex aneurysmatum genesi, ubi arteriarum membranae rigidissimae facillime displodunlur, elucet. Structura etiam tota infantis talis est, ut teneritas quidem, at non laxitas praevaleat. Michaelis(5) observationibus frequentissimis nisus, ecchymoma sem-

---

(1) Paediatrik. P. 38.

(2) Was hat das neunzehnte Jahrhundert für die Erkenntnifs und Heilung der Kinderkrankheiten gethan? p. 115 bis 122.

(3) Geburt des Menschen. p. 373.

(4) De Ecchymomate capitis recens natorum. Marburgi. 1824. 8.

(5) Ueber eine eigene Art von Blutgefchw. in v. Loders Journal. Bd. II, Stück. 4, p. 657. Jena 1799.

per in morbo ossis jam ante partum orto consistere dicit, ratus, diploë illud nudatum et lamella externa privatum esse, qua pericranii carie vasa ipsa corriperentur et lacerata sanguinem emitterent; itaque sanguinis effusionem, aut ecchymoma ipsum, morbi symptoma, ossis autem permutationem, aut cariem, morbi causam nominandam esse. Attamen plurimi medici ei repugnant, nam non semper os morbo aut carie correptum, sed plerumque sanum, integrum et laeve invenerunt, simulac tumor primo in stadio apertus est. Nimirum, si in ultimo stadio tumor vacuefit, caries, longa sanguinis mora in ossis superficie orta, animadversa est.

Feiler et ipse duo ecchymomatum genera discernit, quorum alterum sine morbo ossis, alterum ex carie pericranii procedat. Utrumque tumorem vita durante jam eo inter se differre dixit, ut in altero sub cute ipsa fluctuatio adsit, in altero autem cutis super tumorem moveri posset. Qua de re in secundo tumore fluctuationem ex alto et marginem asperum digitis sentire poteris, simulque magis quam alter formam circumscriptam habebit magisque prominebit. Attamen dubitari non potest, quin ecchymoma neglectum in illud, quod ex ossis carie procedit, transire possit. Paletta (1) quoque Michaelis sententiam sequitur, ratus, sanguinem ex diploës vasis effundi, quum apud tres infantes, ecchymomate mortuos, externam ossis lamellam deesse videret. Porro sententia, morbi causam in osse ipso positam esse, tumorum resolutione celerrima rejicitur.

(1) Exercitationes pathologicae. Mediol. 1820. Cap. III. Art. I. De abscessu capitis sanguineo p. 123.

Busch (1), artis obstetriciae vir peritissimus, ecchymomata singularibus quibusdam conditionibus in graviditate aut partu, ubi unum vel plura vasa ad sinum pertinentia aperiuntur et sanguinem paulatim sub pericranium effundunt, oriri credit. Observavit enim in osse occipitali infantis, haud dubie jam in utero mortui, et forcipe violenter extracti tumorem sanguineum; qui, postquam apertus est, cum sinu cohaerebat. **Flint** (2) eruptionem sanguinis ex osse occipitáli, paucis diebus post partum elapsis ortam commemoravit, quae per ossis morbo mutati aperturam cum cerebri sinu conjuncta fuerit, quam ob rem aegrotus, cum ad scalpelli curationem venissent, inter ipsam operationem mortuus est. Saepe praesertim apud embryones, degenerationem aut morbum vasorum, quae in ipso loco posita erant, invenerunt, unde concludi potest, ecchymomata ex morbo vasorum embryonis, non ex partu pendere. Interpretatio **Wokurkae** hic adjungenda est, qui, ecchymomata tenuium ossium capitis extensione, vel leviori aut majori pressione vel conditionibus aliis inducta, oriri dicit, qua vasa ob propriam infantis naturam adeo afficiantur, ut vi vitali diminuta sanguis perfluat. Denique iterum ad **Naegelé** nos vertamus, qui hanc ex origine et decursu tumoris deductam sententiam profert. Ecchymomata si animadvertuntur vix evoluta, primis post partum diebus crescunt ob intensam sanguinis circulationem in cerebro,

(1) Ein Beitrag zur Aufklärung des Wesens der Schädelblutgeschw. neugeb. Kinder. Heidelberger klinisch. Annal. Bd, II. Heft 2. 1822. p. 245—256.

(2) New England Journ. of Medecine etc. Vol. IX. 1820. April. p. 112.

qualis semper post partum adest, tempore aliquo autem elapso, sanguis effusus resorbetur, quum pericranii ossificatione, igitur pressione vasa, quae antea sanguinem emittebant, obliterentur.

DE DECURSU.

Plerumque morbus lente decurrit, neque valetudinem disturbat, nam et secretiones et excretiones, somnus et nutritionis processus prospere succedunt, ita ut infantes vigeant et alacres se praebeant. Magnis autem tumoribus et nimis oppletis sopor et coma oriuntur. Quod Goelis (1) quoque saepe observavit, et multos se vidisse infantes ad soporem detrusos affirmat, quorum cerebrum partiali humorum pressione irritatum esset. Hoere autem per ecchymoma externum perturbationem quandam et sollicitudinem infantibus illatam vidit. Ecchymomata parva saepe viribus naturae tolluntur sine ullo artis praesidio, majora autem semper ut resolvantur, arte indigent. Simulac autem aliquamdiu manserunt, cupiditate sugendi infantes amissa saepe mammam repudiant, jactantur multosque clamores edunt, somnus aut interpellatur aut torpori similis est, convulsiones, deinde mors, accedunt.

DE EXITU.

Morbus sine medici auxilio diversum sortitur exitum. Plerumque sanguis effusus resorbetur, quo facto tumor collabitur atque aufugit. Attamen vel sanguis ipse, quanquam raro, vel irritatio vi externa tumoris adducta in-

(1) Praktische Abhandlungen über die vorzüglichen Krankheiten des kindlich. Alters. Bd. II. Wien 1818. p. 179. 190.

flammationibus frequentissimam occasionem suppeditant, quae exitum in suppurationem minatur. Quae, si infantis vires sufficiunt, idonea curandi ratione tollitur, ita ut valetudo integra restituatur. Plerumque autem, quamquam quaecunque ars medica offert, adhibita sunt, os ipsum correptum carie deletur et perforatur. Neque semper incisione tempestive facta, tristem exitum arcebis, nam Naegelé apud infantem, ecchymomate in sinistro osse parietali affectum, scalpello usus est, quo tumore aperto tanta purulentae materiae copia effusa est, ut viribus fractis ossisque lamella dissoluta mortuus sit. Inter sectionem medio in osse parietali perforatio inventa est. Chelius (1) contra, ecchymomata fere omnia quatuordecim aut viginti diebus elapsis sanguine resorpto resolvi, aut aliquamdiu, postquam antea duritiem fere osseam nacta sunt, paulatim disparere dicit, ratus, nec sanguine sub pericranium effuso, nec retardata incisione tumoris, cariem ossis timendam esse, quum pericranio ossificato ecchymoma latum atque magnum intra anni spatium sine ullo periculo evanescere videret. Osiander autem, ecchymomata sine medici auxilio per aliquot dies permanere edixit, donec in media parte fluctuationem praebeant et materiis purulentis expulsis, ossis cariem, cutis gangraenam imo mortem ipsam adducant. Hoere duos infantes, qui perdiu ecchymomate laboraverant, vidit, quorum alter per totum morbi decursum integra valetudine gavisus est, alter osse carie deleto atque perforato periit. Adjungit sententiam, perforatione ossis ex carie orta herniam cerebri conformari posse.

NECROSCOPIA.

Plerumque ossa morbo non correpta invenies, et

(1) l. c. p. 162.

si quando acciderit, asperitatem resorptione aucta ortam, aut, quae jam antea allata sunt, cariem indeque perforationem ossis reperies. Siebold (1) vasa quoque nunquam rupta vidit.

PROGNOSIS.

Quod attinet ad prognosin, tumoris magnitudine, aegroti habitu et valetudine, et complicatione, quam ecchymoma cum aliis morbis iniit, determinatur. Multae et inter se discrepantes sententiae de prognosi prolatae sunt, attamen merito contendere licet, infanti ex ecchymomate solo, neque ex aliis morbis laboranti periculum ne ullum quidem imminere, nisi curatione aliena. Quod quoque Naegelé et Hoere confirmarunt, qui omnes fere infantes, tumoribus tempestive et circumspecte apertis atque sanguine bene exhausto, celeriter fausteque sanarunt. Underwood (2) et Michaelis autem valde sententiam illam impugnant et prognosin pessimam ecchymomatum esse dicunt, alter enim omnes, quos viderit infantes, ecchymomate affectos, mortuos esse, confessus, alter autem ratus est, incisionem tumoris et effusionem sanguinis effusi haemorrhagiam, quae spongiosa emollitie ossis aegroti alatur, inducturam esse. Chelius (3) tum prognosin malam, si ecchymoma cum syphilide aut scrophulosi conjunctum sit, auguratur. Goelis quoque morbum minime perniciosum esse, et exitum funestum, inciso tumore et sanguine emisso timendum esse affirmat, quod autem minime per experientiam, ut postea in morbi curatione explicabimus, probatur. Quae de morbi exitu medicorum dissensio in

(1) Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Bd. IV. St. 3. p. 450.

(2) Traité des maladies des enfans. I Part. Paris et Montpellier. 1823.

(3) l. c. p. 162.

eo ponenda est, quod non solum de causis, quibus morbus adducatur, sed etiam de curatione ipsa, ad restituendam valetudinem adhibenda, valde certatur. Nam exitus, qui vel incertus est vel mortem infert, praesertim ex remediis ad morbum opprimendum adhibitis, pendet.

CURATIO.

Indicationes ad valetudinem restituendam duas invenimus, quarum altera sanguinem effusum removeri, altera autem, ne morbus redeat impediri et vulnus claudi jubet. Priori indicationi medici nonnulli satisfieri crediderunt, si resolutionem perfectam conarentur, alii autem suppurationem adduci, alii denique tumore inciso et sanguine exhausto sanationem effici suaserunt.

Quod attinet ad resolutionem, saepe viribus naturae solis et remediis resolventibus efficitur. Attamen vi naturae sola et sine medici auxilio raro ad valetudinem aegrotus redit, et, si quando acciderit, resorptione sanguinis, quem tumor continet, hoc efficitur, quo facto nimirum tumoris latera antea sejuncta inter se conjunguntur. Quod autem tumore parvo tantum, qui magnam sanguinis copiam non continet, contingit. Optimum et constans symptoma exitus fausti habetur, si tumor paulatim evanescere incipit. Attamen exempla sanationis per naturae vim effectae multa allata non sunt. Naegelé, Hoere et Zeller interdum eam viderunt. Nimirum, si magnos tumores oedematosos partu difficili ortos parvo temporis spatio sanari cogitamus, supponere possumus, ecchymomata multo frequentius natura resolutum iri, nisi jam primo initio remedia resolventia adhibeantur. Attamen remedia resolventia, quamquam a nonnullis medicis valde laudata, ab aliis e. g. Michaelis, Osiander, Carus etc. rejiciuntur. Haud dubie in majoribus autem tumoribus aut in pluribus ad actio-

nem vasorum incitandam merito adhibenda sunt. Summa ad resolutionem remedia et aptissima haec sunt: Infusum aquosum aut spirituosum plantarum aromaticarum, ut specierum aromat., juniperi, sabinae; decoct. quercus, ulmi, chinae etc., vinum, acetum vini, spirit. frumenti, spir. camphorat., aq. Goulardi, solut. ammon. muriat. et natr. muriat., acet. squill. etc. Linteola tali infuso aut solutione irrorata tumori saepius quotidie imponuntur. Chelius (1) pressione magis, quam efficiant, quam vi iis propria et interna haecce remedia valetudinem restituere credit, nam linteolis magnis, quae pondus aliquod habeant, aut mitra stricta saepe tumores se sanavisse tradit. Plerumque resolutio jam octo aut quatuordecim elapsis diebus remediis illis efficitur, interdum autem per longius tempus permanent tumores.

Secundum aliam sanandi rationem suppuratio maturanda est; vel auctore Paletta setaceo, vel auctore Goelis causticis inducenda. Paletta exitum infaustum vulneris permagni in recens natis timebat, itaque illam curandi rationem praetulit, qua jam ante dies quatuordecim valetudo restituebatur. Goelis (2) contra suppurationem et ipsam frequentem ad morbum depellendum instituit, itaque lapide caustico ita usus est, ut tumoris apicem et quidem cutem ipsam neque partes, quae altius positae sunt, deleret, deinde, ne suppuratio tali modo orta desineret, curavit. Tantummodo in tumore molli et minimum extenso pro Kali caustico infuso spirituoso specierum aromatic. usus est. Schmitt(3) prosperum eventum ex hac curandi methodo observavit. Negari tamen non potest, quin utraque curandi ratio multa controversa habeat, nam et suppuratio atque fe-

(1) l. c. p. 163.

(2) Salzburg. medicin. chirurg. Zeitung. 1812. No. 31. p. 47.

(3) Salzburg. medicin. chirurg. Zeitung. Bd. I. 1819. No. 21.

bris inde orta et inflammatio magna, quae saepe sequitur, bene respiciendae sunt, nisi potius totam curationem repudiare velis.

Tumores, nisi remediis antea indicatis resolvantur, vel, si adeo crescant, ut illorum circuitus atque tensio augeatur, neque symptomata desint, e quibus valetudinem totius organismi jam correptam esse, satis patet, aperiri et sanguinem exhauriri oportet, ut resorptione sanguinis etiam remanentis valetudo integra redire possit. Quae operatio varia methodo instituitur. Plerumque punctionem parvo scalpello aut lanceola facies et sanitatem sanguine expresso fomentis resolventibus restituere studebis, ad quas fomentationes parandas Klein infusum specierum aromatic. cum vino, Carus infusum spirituos. florum arnicae commendaverunt. Vulneris glutinatio linteis carptis, usque ad evacuationem humoris vulneri impositis, impeditur. Medici nonnulli tumorem lata atque tanta, ut sanguis bene emanare possit, incisione aperiri jubent. A Siebold primus fuit, qui punctionem aut incisionem parvam non sufficere, sed tumorem usque ad ossa findendum, deinde vulneris margines, sanguine e tumore effuso, celeriter emplastris adhaesivis conjungendos esse, docuit; quam agendi rationem Osiander, Naegelé, Michaelis, Hoere, Feiler, Capuron et Wendt secuti sunt. Incisio ecchymomatis tota in superficie aeque inutilis est, ac incisio cruciata, quam Levret (1) instituit. Plerumque jam vulneratione ipsa tota pars ita irritatur, ut sanguis, qui restitat, resorbeatur et vulnus conglutinetur.

Deinde mitra stricta et bene capiti imposita ad finem usque adhiberi potest. Si quando ob diminutam vim vitalem eveniat, ut aegrotus reconvalescat, illae fomenta-

---

(1) Journal de médécine 1772. Vol. XXVII. p. 410.

tiones aromaticae magni pretii sunt. Quae autem si non sufficiant, lintea carpta altius in vulnus demittenda sunt; attamen caveas, ne totum vulneris cavum linteis impleas, quum irritatione illa et mechanica et dynamica perniciosa atque acerrima inflammatio, indeque suppuratio profusa procedat; ob eandem causam injectiones, quae incitant, vitandae sunt. Si autem, omnibus remediis frustra ad vulnus conglutinandum adhibitis, inflammatio, quae transit in suppurationem, exoritur, pro fomentis resolventibus emollientia et cataplasmata adhibenda sunt. Ex pure autem seroso et foetente odore, ejusque qualitate et quantitate colligi potest, os ipsum aegrotare, quod ecchymomate aperto morbo correptum vides. Tum vulnus primum infuso aromatico elui, deinde linteis carptis unguento tonico aut digestivo oblitis deligari oportet; quae sanandi ratio ad ecchymomata neglecta ossibus carie deletis pertinet, ubi Zeller praesertim decocto quercus aut chinae utitur. Ossis pars labefacta removenda est. Puris expressio et injectiones plerumque repudiandae sunt, nam tumore aperto et sanguine effuso, quaecunque irritant, sanationem simul arcent atque impediunt. Saepe, quamquam ecchymoma apertum est, sanguis aliquis restat; quae parva sanguinis colluvies saepe pressione levi, vel linteis carptis, unguento digestivo oblitis vulneri impositis aufertur, attamen negari non potest, denuo tantam sanguinis copiam saepe conflueret, ut tumor post duos aut tres dies magnitudinem, quam antea habuit, recuperet. Verisimile est, ecchymomata ad maturitatem quandam evehi oportere, priusquam aperienda sint. Itaque incisio primo in stadio ecchymomatis non est facienda, nisi denuo illud aperire, aut punctionem aut incisionem repetere velis. Si tumor post aliquod tempus ad majorem circuitum non pervenerit, scalpellum plerumque inter tertium et decimum diem adhibea-

ur. Si, incisione facta, majoribus vasis laesis, sangui-
iis multum profluit, inimicissimum est; quod profluvium
ortasse in casu leviori aqua frigida inhibetur, in gra-
iori autem et continuato fluxu pulveres styptici ad vul-
ius sunt applicandi.

II. ECCHYMOMA INTERNUM.

Haec ecchymomatum species, quam Hoere appo-
uit, a plurimis auctoribus non agnoscitur, attamen, cum
ostra aetate pluries iste morbus observatus sit, adjicia-
mus. Hoere extravasatum sanguinis inter cranium et
uram matrem. itaque intra cranii cavum situm, ecchy-
noma internum nominat. Historiam ecchymomatis in-
erni, ab illo scriptore observati, afferamus. Recens na-
us breve tempus post partum brevem atque facilem so-
ore irretitus mox mortuus est. Sectio sub pericranio
nte protuberantiam ossis bregmatis dextri quantitatem
xiguam sanguinis nigri offerebat, sub cranio ipso autem
umorem magnitudine ovi columbini, qui quoque sangui-
iem spissum nigrumque continens cerebrum et cranium
ta comprimebat, ut hoc in loco os tenuissimum sine di-
loë et nonnullis in partibus destructum atque fissum
nveniretur. Chelius (1) dubitat, ecchymoma internum
nte fissuram, quae ex osse, sanguine effuso mutato, pen-
leat, ortum esse, quum inter partum sanguis sub cra-
ium demittatur, quod factum esse lamella interna de-
tructa satis probari putat. Dieffenbach (2) quoque
llam ecchymomatum speciem a capitis laesione non disce-
lere credit, praesertim cum fissurae antea descriptae
ausam in vi externa positam esse constet. Attamen
Monreau narrat, se tumorem ossis frontalis superfi-

(1) l. c. pag. 164.

(2) Rust, theoret.-praktisch. Handbuch der Chirurgie 1830.
Pag. 125.

cici internae adhaerentem vidisse, qui inter illam partem atque parietem superiorem cavi oculi se extenderit. Extrinsecus neque ulla fuit sanguinis effusio neque laesio. Ante mortem eadem symptomata cerebri oppressi exorta sunt. Baron quoque plura ecchymomata interna observavit.

DIAGNOSIS.

Cephalaematoma internum cognoscimus ex symptomatibus cerebri oppressi, quod symptoma si quando deficiat, ecchymoma negligi potest. Ceterum, quum cerebrum permultis rebus opprimatur, diagnosis valde est incerta.

CAUSAE.

Probabile est, easdem causas, quae ecchymoma externum inducunt, etiam internum proferre.

PROGNOSIS.

Plerumque prognosis ecchymomatis interni est mala, attamen sanguinis effusi quantitate atque tumoris circuitu definitur; effusiones parcae resorbentur, magnae semper mortem inferunt.

CURATIO.

Ars medica nihil valet, praesertim quum diagnosis maxime ambigua sit; naturae vires interdum morbum superare possunt.

VITA.

Natus sum ego Fridericus Puller a. MDCCCXIII. ie V. mensis Augusti, Crefeldiae, provinciae Rhenanae rbe, patre Friderico, matre Anna Cath. Gertr. e ente Gerpott, quos mihi adhuc infanti morte abreios maxime lugeo. Fidem evangelicam confiteor. Priis literarum elementis imbutus in schola Doct. Zilssen, verbi divini apud Evangelicos ministri, viri iam maxime mihi colendi, in literas incubui. Deinde er annum et dimidium frequentato gymnasio Duisburnsi munitus testimonio maturitatis almam literarum henanam petii et receptus sum anno MDCCCXXXIV. rectore magnifico Brandis in civium academicorum umerum; medicinae studiosis me adscripsit decanus t. spectatissimus Mayer. Lectiones, quas per quinque mestria frequentavi, hae sunt:

I. Philosophicae: Ill. Treviranus de botace; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. G. Bi-

schoff de chemia experimentali; Ill. Goldfuss de zoologia, Beat. a Muenchow de physice experimentali; Ill. van Calker de logice et psychologia; Ill. Nasse de anthropologia.

II. Medicae: Cel. Albers de encyclopaedia et methodologia artis medicae, de pathologia speciali et morbis syphiliticis; Ill. Mayer et Cel. Weber de anatomia generali, speciali et comparata, qui viri duces mihi quoque fuere in cadaveribus secandis; Cel. Windischmann de physiologia; Ill. E. Bischoff de materia medica et arte formulas concinnandi; Ill. Nasse de therapia generali et speciali, nec non de physiologia et pathologia cerebri; Ill. Naumann de pathologia generali; Ill. Wutzer de chirurgia, morbis oculi humani, anatomia chirurgica; Ill. Kilian de arte obstetricia et instrumentis obstetriciis.

Quod ad practicas exercitationes dux mihi fuit in clinico propaedeutico Ill. Nasse cum filio.

Auctumno anni MDCCCXXXVI. ad hanc almam musarum sedem me contuli et a rectore t. t. magnifico Busch in album receptus, a decano h. t. spectatissimo Wagner facultati medicae adscriptus sum. Inde ab eo tempore praeceptoribus gavisus sum: Ill. Mueller de anatomia pathologica, qui cum Ill. Schlemm mihi dux fuit in cadaveribus secandis; Ill. Wagner, h. t. decano spectabili, de medicina forensi; Cel. Kluge de arte obstetricia, quibuscum scholis exercitationes conjungebau-

tur; Ill. Bartels de aphorismis Hippocratis. Scholis clinicis interfui: Cel. Truestedt, Ill. Rust, Cel. Barez, Ill. Juengken, Cel. Wolff, Ill. Bartels.

Quibus omnibus praeceptoribus, summe de me meritis, gratias habeo semperque habebo, quas possum maximas.

Tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Variolis vaccinis cum eventu insitis, revaccinatio supervacua.
2. Omnes sanare morbos non licet.
3. Mentiri medicum non licet.
4. Signa, quae stethoscopio percipimus, nonnunquam sunt ambigua.
5. In ulceribus curandis maxime dyscrasia est respicienda.
6. Gangraena amputationem non indicat.